

rogant homines ubi est iudex et quando veniet? Et in ipsa expectatione poenarum suarum plorant. Sic etiam debes animam tuam objurare, dicens: Vae mihi, si non cogitavero, quomodo habeo stare ante tribunal Christi, et actuum meorum reddere rationem. Si sic semper meditatus fueris, poteris salvus esse. Denique, S. Ceadda Merciorum in Anglia episcopus, ut scribit venerab. Beda, lib. IV. hist. IX. Angl. cap. III. dum viveret, diem Domini sollicitus expectabat, et quoties tonaret aut fulguraret, aut vehementior aliqua procella ingrueret, solebat in memoriam revocare extremum diem iudicii et misericordiam Domini invocare, atque eam humano generi propitiare. Unde meruit ab angelis de die obitus sui praemoneri, a quibus ad se die septimo praedicto redeuntibus, in caelum est deductus. Omnes isti nautae felicissime navigarunt, quia in puppi steterunt. Quare Theophilus archiepiscopus moriturus Arsenio dicere non dubitavit: *Beatus es abba Arseni; quia semper hanc horam ob oculos habuisti, in vitis pp. l. v.*

VI. Denique, si quis adhuc securiorem montem expetat, monstrabo illum quidem, sed nescio an placiturum. Mundo renuntia et certum genus vitae perfectioris capesse extra mundi huius fluctus et procellas, ubi securius servire Deo possis. Hoc illa de hirundinibus fabula nos docet. Cum primum enim ceptum est seri linum, hirundo suadet aviculis impedire sementem, dictans, sibi fieri insidias. Irrident illae, stultam vatem hirundinem vocant. Surgente jam lino et virescente, rursus monet evellere sata. Iterum irrident. Maturescit linum, hortatur populari segetem. Cum ne tunc quidem consulentem audirent, hirundo avium caetu relicto, hominis sibi conciliat amicitiam. Init cum eo foedus, cohabitatur, cantu demulcet. Caeteris avibus e lino fiunt retia et laquei. O praeclearum aviculae documentum! Nostin quid sibi velit: serit Deus linum, quando scribit contra nos amaritudines, sententiam videlicet et instrumenta condemnationis pro merito nostro: maturescit linum, cum Dei iudicium appropinquat. Quid faciamus miseri? Sementem extirpemus per accuratam et seriam poenitentiam, vitaeque emendationem. Sed irridet mundus, nec facile ad hoc operam navat, potius nos impedit. Si ergo periculum quis evadere, et salvare animam suam velit, fugiat mundi consortium, recipiat se ad statum securiorem, religionem, ubi conciliet sibi Deum, habitet cum illo, demulceat eum cantu sacrarum horarum, etc. Sed hic querelam Lothi audio, qui monitus ab angelis ut in monte salvum se faceret, diffidens

viribus suis, voluit potius remanere ad pedem montis et salvare se in civitate Segor parva. Difficilis ascensu est mons religionis, et quis potest capere verbum hoc? Ergo salutem nostram quaeramus vel in Segor saltem, hoc est, tali in statu, qui a mundi negotiis paulo est remotior. Videmus mercatores, non parum, qua ratione iter suum instituunt, mercesque coemptas in patriam devehant, esse sollicitos. Si flumen aliquod vastum et praecipit sit transmittendum, magnum ille subit periculum, qui mercibus in humeros sublatis, natandi arte confusus, aquis se suaque committit. In minore, non tamen extra periculum erit, qui in lintrem vel scapham se resque suas imponet: qui vero oneraria nave utetur, magis adhuc caute aget. At quia illa quoque ventorum vi in scopulos impelli et frangi potest omnium tutissimus ibit is, qui ponte licet per aliquot ambages quaesito et consensu vehiculo merces suas transportabit. Non absimilis est mundus vasto et periculoso flumini, cujus procellis et periculis se committunt, qui totos se in molestias et curas saeculares immergunt. Qui vero utantur mundo, quasi non utantur: non penitus in eum effusi, ei tamen ob rei familiaris curam addicti, aliquanto securius navigant. Rursus quibus est major Deo serviendi cura et occasio (uti sunt caelibes et viduae ac clerici saeculares) in navi sunt oneraria, multo quidem tutiori, sed non extra omne periculum. At vero qui relicto saeculo ad religionis pontem ascendunt, nihilque sibi cum mundo commune esse volunt, illi non metuunt pericula, quoniam muri, quibus pons est septus, aspectum fluminis intercludunt. Metiatur ergo quisque vires suas et qua videbitur ratione transmittat. Qui pontem nequit ascendere, intret onerariam: qui hanc non vult aut potest, intret saltem scapham, et exoneret dorsum suum a saeculi tumultibus, curis et negotiis; animi tranquillitatem quaerat, ut securius Deo serviat. Tantum ne adeo dementes simus, ut cum onere saecularium negotiorum supra dorsum posito, natant audeamus, quia res plena est periculo. Tandem, quod angelus monuit Loth, et Christus nos in hodierno evangelio, ne quaeso respiciamus sicut uxor Loth. Si quis ingressus est horum montium seu civitatum aliquam, non respiciat non revertatur. Qui in agro est vitae activae, non redeat ad mundum: qui in tecto vitae spiritualis non descendat ad saecularem.

Sed dum electi cum Loth ad montes praedictos fugiunt, et ad iudicium se parant, quid agunt interim reprobi? Idem omnino quod pessimi Sodomitae, quemadmodum praedixit Dominus

Luc. XVII. Nam: « In diebus Loth edebant et bibebant, inquit, emebant et vendebant, plantabant, et aedificabant: qua die autem exiit Loth a Sodomis, pluit ignem et sulphur de caelo et omnes perdidit: secundum haec erit qua die Filius hominis revelabitur. » Ita Dominus. Et heu quam multi illorum similes! Qui sero et frustra aliquando dicent montibus et petris: *Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum et ab ira Agni*, Apoc. VI. Utantur ergo hoc consilio, et fugiant ad hos montes, ut ibi securi lateant.

CONCIO VI.

QUIBUS MAXIME PERTIMESCENDUM SIT IUDICIUM.

I. Qui Christum hic confiteri erubescunt. — II. Blasphemi. — III. Qui specialibus Dei donis abutuntur. — IV. Qui male praesunt. — V. Qui alios temere iudicant. — VI. Duri immisericordes. — VII. Qui iudicant injuste.

THEMA.

Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus. Matth. XXIV.

Inter alia praesagia eversionis Jerosolymae refert Josephus, l. VII. de bello Jud. c. XII. virum quemdam plebeium, nomine Jesum, per vicos urbis circummisit, et perpetuo clamitasse: *Vae, vae: Jerosolymis idque continuasse septem annis et quinque mensibus ante eversionem: Donec obsidionis tempore ipsa re perspectis auguriis ipse quievit*, ait Josephus. Nimirum praeco iste, ultimus nuntius erat Jerosolymae missus, a Christo Domino, cujus et nomen gerebat: ut triste illud vae, quod Jerosolymae comminatus erat in hodierno evangelio Christus, ipse denuo repeteret, et obstinatis incolis extreme inculcasset. Caeterum ejusmodi praeconeum etiam videtur Christus misisse nobis, Ecclesiam, quae lugubre illud vae, perpetuo nobis occineret, sicque ad iudicii diem nos diserneret. Id enim facit Ecclesia cum quotannis repetit et praelegit nobis illud: *Vae praegnantibus et nutrientibus in illis diebus*, quod certe non faceret, nisi etiam ad nos comminatio illa pertineret. Vult igitur per hoc commovere etiam nos futuri iudicii, quod omnibus nobis imminet. *Vae praegnantibus*, inquit, quia nimirum peccata in corde gerunt, per consensum et peccandi propositum: *Vae nutrientibus* qui peccata jam perpetrarunt, et perpetrare pergunt. Utrisque enim imminet ultima calamitas severissimi illius iudicii. Verum sicut obsidio

et eversio Jerosolymae nemini magis calamitosa erat, quam praegnantibus et nutrientibus: ita etiam iudicium extremum certis quibusdam peccatoribus plus quam aliis terribile obtinget: uti sacrae testantur litterae. Quinam vero sint illi, nunc audiemus.

I. Qui Christum hic confiteri verbo et operibus erubescunt: et a fortiori qui eum omnino negant. De illis enim dixit Dominus, Luc. IX. *Quae me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua et Patris et sanctorum angelorum*. De his vero Matth. X. *Quae me negaverit coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est*. Itaque qui cum opus est, fidem, et quae sunt fidei, non profitentur: item vivere juxta fidei praescripta, Christianique et Ecclesiae mandatis obedire erubescunt: et rursus qui verbis aut factis fidem aut Christum abnegant: hi omnes singulari terrore concutientur in iudicio et praeter aliis confundentur, cum videbunt Christum iudicem cum maiestate et potentia venientem, quem contempsisse se recordabuntur. Quemadmodum enim is, qui regem sub vulgari veste latentem et ignotum sperneret, et a sua societate ac commercio velut indignum repelleret, vehementer postea confundetur, cum rex detracta sibi larva et plebeo exuto amictu, regium indueret: ita qui hic Christum a mundo et infidelibus spretum confiteri; vel in eucharistia existentem, venerari coram haereticis aut etiam fidelibus erubescunt: supra modum confundentur, cum Christus aliquando in maiestate sua iudex eorum apparebit. Novimus qua ratione et Aman, postquam vidit supra se exaltatum ab Asvero Mardochaeum, quem prius contempserat, et suspendere paraverat, et lugens et aperto capite festinarit ire in domum suam, gloriam videlicet Mardochaei et confusionem suam videre non sustinens, Esth. VI. Quanta igitur confusio erit inimicis crucis Christi, quando in die illa cernent gloriam eius. Quando a longe stantes et dicentes: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, etc?* audient: *Nunquam novi vos*. Quomodo pudefient coram caelesti Patre, cum videbunt ab eo tantopere exaltari et honorari Filium, cujus ipsos puduit? Quomodo coram angelis, quos cernent cum tremore et incredibili reverentia inservire illi, cui ipsi flectere genua detractabant? Quomodo coram ss. martyribus et confessoribus, quos cernent voce sanguine et calami Christi gloriam propugnasse, et coram toto mundo intrepide praedicasse?

II. Blasphemi. Hi enim lingua sua virulenta velut lancea aut clavo Christum pungunt et con-

figunt; siquidem Augustinus super id blasphemavit, scribit: *Non minus peccant, qui blasphemant Christum regnantem in caelis, quam qui crucifixerunt ambulantes in terris.* De his autem scribit S. Joan. Apoc. I. *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus; et qui eum pupugerunt, q. d. specialiter isti videbunt ad terrorem suum.* Et rursus postquam unus militum lancea latus Christi aperuisset: *Videbunt in quem transfecerunt,* Joan. XIX. Hoc itaque primo, ad crucifixores Christi pertinet, qui vel reipsa eum crucifixerunt; vel lingua, cum clamaverunt: *Crucifige:* secundo, juxta sententiam S. Aug. ad quoscunque blasphemus. Et quomodo non istis etiam terribilissimus erit Christi adventus, quando is ad oculum eis demonstrabit, quem offenderint? Qui in imperatorem scommata aut infamem evulgasset libellum: quo, putatis, terrore corripetur, si deprehensus et in lucem protractus imperatori sisteretur? Non volunt intelligere blasphemum, quam graviter et in quantum peccent imperatorem: sed intelligent aliquando, cum in conspectum ejus producentur. *Serpentes, gemina viperarum,* (quæ nimirum virulentam linguam exeritis in Christum) *quomodo fugietis a judicio gehennæ?* ait Dominus, Matth. XXIII.

III. Qui magnis ac multis Dei donis et gratiis abutuntur, quique Dei vocationes repellunt. De talibus enim ait Dominus, Matth. X. ad discipulos suos: *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii quam illi civitati.* Quo loco excutere pulverem e pedibus jubentur apostoli, ut significant se nolle cum illis domibus vel civitatibus, tamquam gravissime puniendis in judicio, commune aliquid habere. Eodem pertinere quod Luc. XI. ait Dominus: *Regina austri surget in judicio cum viris generationis hujus et condemnabit illos, quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis; et ecce plusquam Salomon hic.* Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac et condemnabunt illam, quia penitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ; et ecce plusquam Jonas hic. Quod ne in nos etiam quadret, vehementer vereor. Etenim Ninivitæ ad unius hominis ignoti comminationem converterunt se et penitentiam egerunt: nos cum plurimos audiamus Dei servos et concionatores penitentiam inculcantes, nihil movemur. Illis unus dies satisfuit, quo prædicantem audierunt Jonam; nos multis sæpe annis frustra audimus conciones: illis propheta urbis tantum subversionem minabatur, et toto tamen pectore cohorterunt;

nos toties intentatis nobis suppliciiis æternis non afficimur: illis quadraginta dierum spatium ad respiscendum dabatur; nobis ne hora quidem certa securaque promittitur: illi universi, summi, medii, infimi vitam in melius commutavere; nos pene universi in dies pejores evadimus aut saltem non emendamus: denique, illi seipsos graviter affixere jejuniis, cinere, ciliciis, ut Deum sibi placarent, licet adhuc ignotum; nos cum Dei veri cognitionem habeamus, ita affixi voluptatibus hæremus, ita corpus hoc amamus, ita vitiis immergimur, ut quidvis etiam minimum pati renuamus. Quare bene S. Greg. in homil. IX. quæ est de talentorum distributione monet: « Lectio s. evangelii sollicitè considerare nos admonet, ne nos qui plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab auctore mundi gravius inde judicemur. Cum enim augentur dona, rationes etiam crescant donorum etc. » Et certe si dominus talentorum, in eum qui unicum acceperat et absconderat, tam severum protulit judicium: *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores, illic erit fletus et stridor dentium,* Matth. XXV. quid dixisset ei, si is quinque aut plura accepisset? Et similiter abscondisset? Potest quidem is, qui abundat opibus et præcellit honoribus plus meriti parere, sed et plus demeriti, quod communiter fit, idque hac similitudine declarat Macarius apud Cassianum, collat. XXIV. Tonsor quidam in pago erat, qui a quolibet pro sua tonsura tres denarios accipiebat, unde tantum quidem lucrabatur, ut quotidie supra victum decem denarios ad rem suam familiarem conquiret. Sed cum audiret in urbe aliqua pro crinium ejusvis hominis abrasione tres stuferos tonsori numerari solere, omnia sua bona dividit, atque eo proficiscitur. Qua in urbe dum jam esset, etiam, ut dictum ei erat, a quolibet tantum accepit: sed veniens ad forum, in quo sua necessaria emere cogebatur, omnia adeo care divendi experitur, ut ad vesperum nihil sibi reservare posset, imo quidquid in pago acquisiverat, hoc illic totum consumebat. Igitur cum lucrum et sumptus rectis rationibus expenderet, advertit se utilius longe in pago quam in urbe habitare. Similiter accidit hominibus, qui dignitates hujus mundi appetunt, quibus videtur quidem quod velint facere multa bona, et interim committunt multa peccata, non solum, quod qui altius cadit, is etiam periculosius cadat, sed quod in divitiis, dignitatibus, et amplitudinibus plures sint occasiones peccandi, imo multo majores quam in aliqua privata aut pauperula vita.

IV. Qui male præsumunt subditis. His enim mi-

natur Sapiens, Sap. VI. *Horrende et cito apparebit vobis (judicium scilicet) quoniam judicium durissimum in his, qui præsumunt. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Cujus ratio est, quia subditus cum officio suo deest, sibi soli deest et suam unius Deo abstrahit animam. Prælati autem et suam et suorum subditorum: ut taceam quod hic plura ad virtutem præsidia habeat, quam subditus. Constat autem non duci integrum exercitum contra unum furem, qui supellectilem asportavit, sed mitti tantum unum vel alterum servum baculo armatum: at vero in eum qui integram civitatem aut provinciam occupavit vel spoliavit, duci integram aciem et ferro ac flamma sæviri. Legimus Num. XXV. quando fornicatus est populus Hebræus cum filiabus Moab et adoravit deos earum, Deum Moysi præcepisse: *Tolle cunctos principes populi et suspende eos contra solem in partibus.* In quem locum Orig. hom. XX. ait: « Populus peccat et principes puniuntur, non enim tantum pro suis arguuntur delictis. Pro populo enim coguntur principes reddere rationem, ne forte non docuerint, non monuerint, non sollicitè arguerint eos, qui primum peccaverunt ne contagio dispergeretur in populos, in ipsos enim convertetur ira Dei et cessabit a populo. Hoc si cogitarent homines, principatus non ambirent. Sufficit cuique pro peccatis propriis argui et reddere rationem. » Hæc ille.

V. Qui alios temere judicant et condemnant. Ait enim Dominus, Matth. VII. *Nolite judicare, ut non judicemini; in quo enim judicio judicaveritis judicabimini, et in qua mensura mensi fueritis, remittetur vobis, q. d. acrius et severius quam alii judicamini, (de peccatis vestris, ut explicat S. Chrysost. hom. XXIV. in Matth.) juxta modum nimirum, quo judicastis alios. Facies tibi, inquit Chrysost. terribilius esse judicium, cogisque adversus te diligentissimam fieri etiam de minimis ultionem.* Quod si proximus proximum judicat, cujus tamen judex non est et cujus causam perspectam non habet: quanto is severius meretur a Deo judicari, cum reus invenitur? Et quia sæpe reprehendimus in proximo, cujus ipsimet rei sumus, hinc etiam severius meremur judicari, si alios condemnemus: sicut is qui perpetrat, quæ docendo dissuadet, gravius delinquit. Unde apostolus ad Rom. II. *Inexcusabilis es o homo, omnis qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas.* Tales itaque secum ad judicium ferunt in proprio sinu litteras Uriæ, seu proprium judicium quo condemnentur.

VI. Duri et immisericordes. De his enim scrip-

tum legimus Eccl. V. *Cor durum habebit male in novissimo:* et Jac. II. *Judicium sine misericordie fiet illi, qui non fecit misericordiam.* Novimus etiam quam terribili sententia detonet in illos Dominus, Matth. XXV. *Esurivi et non dedisti mihi manducare, etc.* Postquam vero ad sinistram suam eos posuit inter hædos, et excusationem eorum rejecit, terribili illo fulmine eos percussit: *Discedite a me maledicti in ignem æternum.*

Quod si ad sinistram ponentur et tam horrende increpabuntur, qui misericordiam non fecerunt, qui pauperes non cibaverunt, non vestierunt, non receperunt et visitarunt: quid fiet illis, qui præterea pauperes spoliaverunt, exossaverunt, oppresserunt?

VII. Qui judicium pervertunt et inique judicant. Talibus enim minatur Deus severissimum scrutinium et judicium, Sap. VI. *Interrogabit: Opera vestra et cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, etc.* et Isa. X. *Væ qui condunt leges iniquas et scribentes injustitiam scribunt: ut opprimerent in judicio pauperes et vim facerent causæ humilium populi mei, ut essent viduæ præda eorum et pupillis diriperent. Quid facietis in die visitationis et calamitatis de longe venientis? Ad cujus confugietis auxilium, etc?* Hinc Christus Caipham iniquissimum judicem de venturo super eum judicio extremo monuit, Matth. XXVI. *Videbitis, inquit, Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli.* Similiter et Paulus, Act. XXIV. coram præside Felice disputavit de judicio futuro et tremefecit eum; quo nimirum memores essent et se aliquando judicandos tantoque severius, quanto iniquius judicarent. Propterea etiam divina dispensatione sæpius contigit ut vota eorum, qui injuste judicabuntur et ad mortem trahebantur, contra eorum judices fuerint exaudita, præsertim cum ad tribunal Dei judices suos citaverunt. David a Saule vexatus et pene oppressus, tandem: *Judicet Dominus inter me et te,* inquit, et paulo post secutus est Saulis interitus: Zacharias pontifex a rege Joas in atrio templi lapidatus: *Videat Dominus et requirat,* inquit. Itaque exacto anno venerunt Syri et in rege Joas ignominiosa exercuerunt judicia et dimiserunt eum in languoribus magnis; inde servi ejus occiderunt eum in lectulo suo, II. Par. XXIV. Ferdinandus Castellæ et Legionis rex cum duos nobiles ex Caruajalorum familia inauditos de rupe præcipitari jussisset, ab iisdem ad tribunal intra trigesimum diem citatus, ipso trigesimo die morte percussus comparare debuit, Fulgos. l. I. c. VI. Naucerus, etc. eques Neapolitanus cum confratribus Tem-

plariis ad supplicium raptus cum Clementem VI. papam et Philippum Pulchrum Franciæ regem, quorum auctoritate necabatur, vidisset, utrumque ad tribunal Christi, quando in terris non haberet ad quem appellaret iudicem, intra annum et diem citavit, dictum, factum: ambo intra id tempus e vita excesserunt, idem Fulgos. Rudolphus Austriæ dux cum equitem auratum condemnasset ut sacco inclusus mergeret, cum ab eo intra annum vocaretur ad tribunal Christi, irridens respondit: *Bene, præito, ego tum adero.* Exa tempore incidens in febriam et appellatus recordatus ait servis: *Tempus mortis meæ instat ad iudicium eundem;* et sic obiit. Refert Joannes Pauli. Franciscus Armoricæ dux cum Egidium fratrem læsæ majestatis falso accusatum in carcere necari jussisset, vocatus ab eodem per internuntium quemdam Franciscanum ad tribunal Dei intra diem quadragesimum, cum audisset nuntium, illico male habere cepit et crescente morbo ad conditum diem expiravit, Aneas Sylvius: magister ordinis Teutonicorum in Livonia, cum quemdam prætenso falso crimine sciens ac prudens laqueo peremisset, ab innocente ad tribunal Christi citatus, ad tertiam decimam diem ea die mori et comparere debuit, cum paulo ante adhuc incolumis multis audientibus diceret: *Oportere se sisti coram Deo, Cranzius in Vandal. l. XI.* Sed quis nunc explicare nobis queat, quale fuerit horum iudicium? Profecto S. Jacobus dixit: *Judicium sine misericordia fiet ei qui non fecit misericordiam.* Fridericus Rom. imp. et ipse de principibus dixit: *Quales se dum vivere, aliis præstiterunt; tales cum moriuntur, in se iudices experturi sunt,* An. Sylv. de dictis Alphonsi. Utinam hæc sibi exempla proponant principes et magistratus! Væ igitur prægnantibus, væ nutrientibus talia peccata: contra beati steriles, qui talia nec pariunt, nec parturiunt.

CONCIO VII.

QUARE CRUX APPARITURA SIT IN JUDICIO.

I. Ad gloriam Christi: 1. Ut ostendat ipsum esse legitimum iudicem. 2. Et quidem a Judæis crucifixum. 3. Ut appareat, quam juste impios damnet. — II. Ad solatium justorum: 1. Ut habeant, quo se tunc recipiant. 2. Ut sciant cui salutem suam acceptam ferant. 3. Ut sciant omnes crucem esse regiam cæli viam. — III. Ad terrorem reproborum: 1. Ad ingratitude exprobrationem. 2. Ad confusionem eorum, qui hic crucem spreverunt. 3. Ad majorem eorum penam.

THEMA.

Tunc parebit signum Filii hominis in cælo.
Matth. XXIV.

Ex libro I. Regum, c. XVII. scimus Davidem

amputasse caput Goliatho, proprio ejus gladio, quo Goliath parabat occidere Davidem. Gladium vero illum ad perpetuam rei memoriam assertatum fuisse et positum in tabernaculo post ephod; eundemque rursum a Davide acceptum et accinctum ad debellandos hostes ejus, discimus ex eodem libr. c. XXI. Doctissimus Hesychius super Ps. XLIV. gladium Christi, crucem interpretatur, et de illa dictum putat ibi: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime;* quia nimirum eo diabolum obruncarit, qui eo ipso gladio Christum obruncare pararat et Judæos ad crucifigendum Christum incitavit. Sed occisus est tyrannus proprio suo gladio, quo occidere voluit. Decet igitur ut in perpetuam hujus victoriae memoriam ss. crux in templis asservetur et adoretur. Sed quemadmodum David postea gladium suum resumpsit et contra hostes exeruit, ita resumet aliquando Christus gladium crucis suæ et vibrabit in hostes suos. Quando autem id facturum sit, dicitur in hodierno evangelio: *Tunc, id est, in die iudicii extremi, parebit signum Filii hominis in cælo.* Tametsi enim Calvinus alique hæretici negant hic de cruce agi: asserunt tamen ss. patres pene omnes, Origenes, Chrysostomus, Augustinus, Hilarius, Cyrillus, Beda, Theophylactus, Euthymius. Quia ut S. Cyrillus, catech. ait, verum ac proprium Christi signum est crux: tenet id ipsum Ecclesia, quæ canit: *Hoc signum crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit.* Accinit etiam Sibylla libro VI. oraculorum in fine:

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit;
Nec te terra capit, sed cæli tecta videbis:
Cum renovata Dei facies ignita micabit.

Sed jam merito querat aliquis, quam ob causam apparitura sit crux in iudicio. Si enim cum cometa aliquis illuxerit, contentiose querimus, quidnam ille portendat: cum tamen ordinarie magnates solum et reges tangat: multo æquiori jure nos interrogamus, quid crux in iudicio significet, cujus ostentum non reges tantum, sed communiter nos omnes tangit.

Existimo sane gladium illum Davidis loco sacro assertatum fuisse, tres potissimum ob causas, ad honorem Davidis: ad solatium Israelitarum, qui beneficio illius ab hostibus liberati fuere: in terrorem et confusionem hostium, qui beneficio illius cæsi et fugati sunt. Similiter etiam crux in iudicio apparebit, ad Christi gloriam, ad consolationem justorum, ad terrorem reproborum: uti assignat S. Chrysostomus, hom. I. de cruce et latrone.

I. Ad gloriam Christi. Ut palam sit Christum esse verum et legitimum mundi totius iudicem:

ut qui per crucem totum sibi subjecerit orbem et contriverit omnes conatus hostium, atque ita judiciariam sibi potestatem acquisierit, unaque claves cæli et abyssi. Visa igitur in cælo cruce Christum præcedente, nemo dubitare de competentia aut potestate Christi iudicis poterit, multo minus eum repellere, ipse enim crucis splendor omnibus ostendet, eum verum ac solum esse universalem iudicem, multo clarius quam si litteras aut testimonia exhiberet, unde vocatur in hodierno evangelio: *Signum Filii hominis, id est, verissima ejus insignia et certissimum testimonium.* Quamdiu in terris vixit Christus Judæorum plerique noluerunt eum pro suo acceptare iudice; unde quando ab ipso eieci faere e templo, dicunt Matth. XXI. *In qua potestate hæc facis? Et quis dedit tibi hanc potestatem?* Idem ad Pilatum: *Non habemus regem nisi Cæsarem.* Hoc ipsum etiam post Judæos dicunt plurimi alii, gentiles, hæretici, mali Christiani: qui offendunt Christum, quasi eum pro iudice suo non agnoscant. Verum ubi in die illo crucem Christi aspicient; jam non poterunt dubitare: fore hunc suum iudicem competentem et inevitabilem.

Secundo, ut palam etiam sit, hunc iudicem, eum ipsum esse, qui a Judæis crucifixus, et tam contemptim habitus: ab aliis quoque peccatoribus tam ignominiose acceptus et toties offensus est. Noluerunt Judæi agnoscere Dominum in carne ambulantiem, multo minus in cruce pendentiem, esse suum Messiam; imo postquam etiam resurrexit: et proinde quidquid injuriarum ei intulerunt, non Messiae suo, sed alteri se inferre putabant: licet ex culpabili ignorantia. Simili modo etiamnum plurimi in Christum gravissime peccant, ejus sacramenta, vulnera inhonorant, quasi nesciant, quem offendant. Unde Jer. V. dicitur de iis: *Negaverunt Dominum et dixerunt: Non est ipse;* sed in illo die: *Videbunt in quem transpexerunt,* ait Joannes, c. XIX. ex prophetia Zachariæ. Videbunt signum Filii hominis seu crucem ejus, in quam egerunt ipsum, quæ vel omnino eadem illa erit, in qua pependit Christus, ut non improbabilius existimat Thomas Waldensis, to. III. de sacrament. tr. XX. c. CLVIII. vel eam tam accurate representabit, ut inficiari nemo queat Salvatoris nostri crucem esse: velut: *Si quis lapide percussus, ostendat lapidem,* ut inquit Theophylactus hic. Demonstrabitur enim illis locus ubi Christum crucifixerunt, vulnera quæ fecerunt, clavorum in cruce fixorum foramina, contumeliæ, illusiones, etc. Et quis tunc, putatis, erit sensus Judæis, quando aspicient in quem pupugerunt, et quasi

manibus palpabunt? Quis malis Christianis, cum videbunt se tam graviter offendisse et tam contumeliose tractasse, sæpe indignissime in eucharistia sumpsisse, ore blasphemasse, quem vel non firmiter Deum et iudicem suum crediderunt, vel surdum aut cæcum existimarunt, ut qui libidinem eorum non consideraret? Cogitate quid esset si quis regem suum de nocte gladio impeteret, nesciens esse regem: ipse vero rex sequenti die gladium ei ostenderet, quo ab ipso vulneratus esset? Legite historiam Josephi, et inveniatis, postquam is a fratribus venditus, a Pharaone vero evectus ad principatum, fratres agnoscens allocutus est: *Ego sum Joseph frater vester quem vendidistis in Ægyptum,* adeo contentatos et quasi fulmine percussos fuisse, ut ne verbum quidem responderet possent: *Nimio terrore perterriti,* Genes. XLV. Quod si fratres isti adeo sunt percussi, ex agnitione fratris, quem oderant et vendiderant, quid erit videre Deum iudicem, in quem toties pupugisti? Et si Judæi Christum in horto comprehensuri, retrorsum ceciderunt, postquam audierunt Dominum dicentem: *Ego sum,* quem tamen tunc mere hominem reputabant; quid sentient, cum videbunt eundem illum esse suum iudicem et Deum, eumque dicentem audient: *Ego sum Jesus quem crucifixistis: quem tam fæde et ludice tractastis?*

Tertio: *Ut per hoc justior* (inquit D. Thom. add. q. XC. a. II.) *condemnatio eorum appareat, qui tandem misericordiam neglexerunt, et eorum præcipue qui Christum persecuti sunt, sicut cum homicida plectitur juxta cadaver occisi.* Cum enim Christus etiam in propria causa iudex omnium sit futurus; et alioquin inter homines iudex sit suspectus haberi possit, sed justissimus iudex appareat, crucem proponet universo mundo tamquam testem injuriarum, quas ab hominibus pertulit, locupletissimum, ut sic non tam ipse quam totus mundus inimicos ejus condemnet, juxta id Sap. V. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* In ea legent omnes causam justissimam damnationis impiorum, et quod scriptum est, scriptum esse: unde Chrysost. homil. LXXVII. in cap. XXIV. Matth. ait: *Non enim accusantibus opus erit, cruce crucem viderint: tunc dicent ad invicem, quæ fratres illius Josephi: Et sanguis ejus exquiratur.*

II. Ad solatium justorum. Primo, ut habeant, quo se recipiant in die furoris Domini. Crux ipsis arcus qua si cælestis erit, certissimum pacis signum et serenitatis: funiculus ille coecineus erit, dependens a fenestra cæli, Jos. I. certissimum securitatis indicium: